

1239, maig

Joan Guerau i la seva esposa Adelaida estableixen a Pere de Sitjar el mas que havia estat de Pedrinyà de Puig, a tasca i braçatge, per cent sous d'entrada.

ASD núm. 126, perg. orig., 185 x 130 mm, carta partida.

Sit notum cunctis quod ego Iohannes Geralli et uxor mea Adalaidis per nos et per omnes nostros presentes atque futuros donamus et stabilimus tibi Petro filio Geralli Ciiario homini nostro et tuis perpetuo totum illum mansum et honorem qui quondam fuit Pedriniani de Podio et ipse nobis definiuit, excepta decima quam sibi retinuit. Predictum quidem mansum et honorem, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis et tenedonibus et cum omnibus aliis in eis habentibus eisque qualicumque modo pertinentibus; et ut melius dici uel intelligi potest ad tuum tuorumque commodum et utilitatem, sic tibi donamus et stabilimus ad omnem tuam uoluntatem faciendam saluo meo iure, et dabis de clauso et quadrono, quartum et braciaticum, et de omnibus aliis, tam terris quam uineis, tascham et braciaticum allatum ad meam domum apud Gerundam, et pro censu annuatim quatuor solidos barchinonenses de temo in festo Natalis Domini; et conuenimus tibi et tuis dictum mansum et honorem facere habere et tenere in pace. Et propter hoc donum siue stabilimentum confitemur a te recepisse centum solidos barchinonenses, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, renunciando excepcioni non numerate pecunie.

Actum est hoc [...] 1 madii anno Domini .MCCXXX. nono

Sig+num Adalaidis, uxor dicti Iohannis Geralli, qui hoc firmo et laudo. (s. *man*:)
Sig+num Iohannis Geralli*. Sig+num Pedriniani de Podio. Sig+num Petri de Uillapodii.2

(s. *man*.) Sig+num Raimundi de Caciano, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, cum litteris suprascriptis in .VIII. linea, ubi dicit "sic tibi damus et stabilimus". Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

1. Possiblement, kalendis.

2. Lectura incerta. Sembla tractar-se del mas de Puig de Pedrinyà (núm. 212).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 257-258